



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 4. Mores Vallorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 3. *Qualitas Vallia.*

P A R S eius Borealis si Monam excipias paulò sterilior est quæ ferè tota in montes assurgit, in quibusdam tamen locis fertilis redditur, abraso cespite atque combusto. Incolæ sese facile tutantur, quoniam vallibus multis fracta regio, Montes adeò vicini ut ex eorum vertice pastores colloquantur, nec tamen nisi totâ die ab vnâ crepidine ad aliam perueniant. Equos alebat antea celebres, nunc paucos omnino emittrit.

Australis pars fertilissima; laudantur eius canes pecoris, villarumque custodes. Hinc oriundus Merlinus vates, itemque Arturius, in fabulis nominatissimi. Giraldus quoque saepe laudatus à nobis, ab hac Regione Cambrensis dictus est.

§. 4. *Mores Vallorum.*

D E Vallorum moribus legantur Giraldus, Camdenus, & Speda, ex quibus pauca hæc decerpsumus.

1. Eorum curam vnam fuisse habere arma terribilia, equos belatores vegetos & fortes.

2. Disertissimos naturâ extitisse.

3. In nuptiis de splendore familiæ fuisse sollicitos, de diuitiis nullo modo.

4. Apud eos fuisse turpissimum dentes habere nigros, ideoque illos identidem teruisse.

5. Musica instrumenta magno hic fuisse in precio, potissimum apud Virgines.

6. Temperantes supra modum extitisse: de die nonnisi semel sumpsisse cibum, idque sub vesperam, iuncos eis culcitram, & stragula suffecisse.

7. Viros aliuisse barbam in superiore labro, reliquam rasisse.

Et hos quidem fuisse ritus constat veterum Vallorum. Ex quo autem paruerunt Anglis, dominorum induere mores. Hos tamen adhuc retinent. Magni faciunt natales suos, & familiæ splendorem in pannis iactitant. Literis addictissimi sunt, plurésque ex hâc vnâ gente doctores creantur, quam ex reliqua Anglia. Ceterum libibus intricandis, & expediendis habentur aptissimi.

Bb